paratiſſimam Dei tam *promtitatem*, qvam *voluntatem* ad noſtri *glorificationem certiſſimam* importat.

27. *Efficiens*, qvoad *activitatem* divinam, illuſtratur, & qvoad *actuum rectitudinem*, dum *veritas actionum*, circa noſtri *glorificationem* concurrentiũ veritate *verborum activorum*, aut *actionum inferentium*, indicatur; & qvoad actuum *promtitudinem*, dum *actus* immediatè ſemper cum *voluntate paratiſſima* cohærent, & indeſinenter, ac efficaciter, ab eadem dependent: & qvoad actuũ *multitudinẽ*, dum integer catalogus actuum *glorificantium* recitatur; & *actuum magnitudinem*, cum maximi ſint, & prorſus infiniti *glorificantes* actus, dum maximi ſunt *Jehovæ*, qvoad *qvidditatem*, vel *Eſſentialem habitudinem*; maximi ſunt Jehovæ, qvoad *qvantitatem*, & *eminentiſſimam celſitudinem*; maximi deniq; ſunt *Schaddai*, qvoad *qvalitatem*, & *ſufficientiſſimam plenitudinem*.

28. Tandem ad *finem* properamus, qvi vel *Cui*, nim. *Fideles* (a) *corde ſperantes*, (b) *mente Nomen Dei cognoſcentes*, (c) *ore clamantes*, (d) *in calamitate conſtantes*. (e) *Glorificationem accipientes*. (f) *Longitudine dierum ſe conſtanter exſatiantes*. (g) *in felicitate ſalutaris Jehovæ triumphantes*.

29. Vel *cujus*, qvales reſpectu *noſtri* ſunt (1) *æternitatis poſſeſſio*, nim, in *longitudine dierum*, à *Deo communicata*. (2) *abundans in æternis bonis exſatiatio*, qvæ veram importat αὐτάρκειαν Joh. X. 10. ab *El ſchaddai*. *Gen. XVII. 1. & h. l. v. 1.* (3) *manifeſta divina ſalutis oſtenſio*. Reſpectu *Dei* conſpicitur hic in omnibus *Gloriæ divinæ celebratio*, vel ejus *æterna continuatio*.

30. *Eminentiam* paucis attingimus, & ex *axiomatibus* eam deducimus, qvia hæc *Glorificatio* dicitur (1) *Diviniſſima*, cum ſit ipſius Dei. (2) *Celſiſſima*, qvia dicitur *Altiſſimi*. (3) *Sufficientiſſima*, cum ſit *Schaddai*. (4) *Gratioſiſſima*, cum ſit *gratioſæ præſentiæ*. (5) *Mirabiliſſima*, cum ſit *miſerorum*, per *gratiæ* varios actus. (6) *paratiſſima*, cum ſemper repetatur: Jch wil/ Jch wil. (7) *Certiſſima*, cum pendeat ex meris voluntariis promiſſionibus. (8) *Durabiliſſima*, cum in longitudine dierum duret. (9) *efficaciſſima*, cum afferat ſatietatem. (10) *Feliciſſima*, cum meras Jehovæ felicitates, & ſalutes ſecum ferat.

Coll. Diss. A 161, misc 34

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn325774528/20
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG